

## Odium A

Tria sunt genera hominum que odit Deus: remanentem, retro redeuntem, oberrantem. Excitandi sunt remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam reducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via; qui forte a meliori proposito, declinat ad illud quod deterius reliquerat, reversus est retro; qui fidem deserit, a via erravit.

Augustinus de novo cantico.

## Odium B

Hoc est perfecto odio odisse ut vicia non homines oderis nec vicia propter homines diligas.

Augustinus super illud Psalmorum: Perfecto odio oderam illos.

## Odium C

Festuca in oculo ira est; trabs in oculo odium est.

Augustinus super Mattheum.

## Odium D

Multum aliud est quando quisque irascens in aliquo verbo modum excedit, quod postea debeat penitendo. Aliud est servare insidias inclusas in corde, multum postremo inter hec verba scripture turbatus est pre ira oculus meus, de illo autem aliquid dictum est, qui odit fratrem suum homicida est, multum interest inter turbatum oculum et extinctum, festuca turbat trabs extinguit.

Augustinus ibidem.

## Odium E

Odium est vetus ira ex pluribus causis collecta diuturno tempore perseverans.

Augustinus de diffinitionibus.

## Odium F

In comparacione odii ira festuca est, sed festucam si nutrias trabs erit, si evellas et proiicias nichil erit.

Augustinus in sermone.

## Odium G

Nemo potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit unde revocamur.

Augustinus de vera religione.

## Odium H

Prope modum naturale est ut nurus socrum et socrus oderit nurum.

Hieronymus super Micheam.

## Odium I

Qui occidit et qui odit fratrem suum et qui ei detrahit pari pena digni esse monstrantur.

Hieronymus in epistola.

## Odium K

Tunc bene animam nostram odimus cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur.

Gregorius in homelia.

## Odium L

Vitam anime quelibet culpa polluit, servatus vero dolor contra proximum occidit, menti namque ut gladius figitur et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur.

Gregorius 10. moralium.

## Odium M

Qui ergo motum nocendi habet in animo debet iudicare se reum, si autem prodeat in contumeliam adversus fratrem, eget reconciliacione, si autem non iudicat se reum nec fratri vult reconciliari ex contemptu perseverans in odio reus erit gehenne.

Gregorius super Mattheum 5. in homelia.

## Odium N

Sicut rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur et oditur. Non potest hominem odire qui Deum amat, nec potest Deum amare qui hominem odit.

Chrysostomus super Mattheum 22.

## Odium O

Nemo potest aliquid oblivisci quod diligit, aut retinere quod odit.

Chrysostomus in homelia.

## Odium P

Hec est pugna periculosa et hec gloriosa victoria qui poterit odire quod amat et amare quod odit.

Chrysostomus ibidem.

## Odium Q

Bonos quis ubi stultissimus oderit, malos vero odisse ratione caret.

Boecius de consolacione libro 1.

## Odium R

Perfectum odium est, homines diligere et eorum vicia semper horrere, nam in illa parte qua creatura Dei sunt amandos esse non dubium est in illa iniquitate horrendi sunt in qua se polluerunt. Tales placere non possunt, nisi eis qui factis filibus implicantur.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Perfecto odio oderam illos.

## Odium S

Simul ista mundi rector Deus posuit, odium atque regnum, odia qui nimium timet regnare nescit.

Seneca.

## Odium T

Peiora sunt tecta odia quam aperta et agnoscere amat qui odium ostendit.

Seneca in proverbiiis.

## Odium U

Propterea te loquax inimicus minus quam taciturnus offendit.

Ibidem.

## Odium X

Quamvis agas ut ne quis merito tuo oderit, erunt tamen semper qui odient.

Seneca in proverbiiis.